



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

An sufficiat confiteri laico. B [i.e. E]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

*Leopri. epist. 78. ad Episcopos Campania.* Item Leo Pap. Quamuis plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter timorē Dei apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium sunt huiusmodi peccata, vt ea, qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicari: remouetur improbabilis cōsuetudo, ne multi à pœnitentiaz remedis arcētur, dum aut erubescunt aut timent inimicis sua facta referare, quibus possunt legum percelli constitutione. Sufficit n. confessio, quæ primum Deo offertur, & tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium peccator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia cōfidentis. Ex his alijsq; pluribus indubitanter ostenditur, oportere Deo primum, & deinde sacerdoti offerri confessionem: nec aliter posse perueniri ad ingressum paradyſi, si adsit facultas.

*De tertio articulo scil an sufficiat confiteri laico.* E

Nunc priusquam præmissis auctoritatib. quæ his cōtradicere videntur, respondeamus, tertiam quæstionem intueamur. Quod n. secunda quæstio cōtinebat, sc. an sine confessione & iudicio sacerdotis soli Deo confiteri sufficeret, expeditum est: & certificatum præmissis testimonis, q; non sufficit confiteri Deo sine sacerdote, nec est verè humilis nec pœnitēs, si nō desiderat & requirit sacerdotis iudicium, sed nunquid æquè valet alicui confiteri socio vel proximo suo, saltē cum deest sacerdos? Sanè ad hoc potest dici, q; sacerdotis examen requirēdum est studiosè: quia sacerdotib. concessit Deus potestate ligandi atq; soluēdi. Et ideo quib; ip̄i dimitunt, & Deus dimittit. Si tñ defuerit sacerdos, proximo vel socio est facienda cōfessio. Sed curet quisq; sacerdotē querere, qui sciat ligare & soluere. Talem n. esse oportet, qui aliorum criminā dijudicat. Vnde Aug. Qui vult cōfiteri peccata ut inueniat gratiam, querat sacerdotem, qui sciat liga-

*Quæstio.*

*Solutio.*

*Marth. 16. 18.*

ligare & soluere: ne cū negligens circa se extiterit, negligatur ab eo, qui cum misericorditer monet & petit, ne ambo in foueam cadant, quam stultus evitare noluit. Tanta itaq; vis cōfessionis est, ut si deest sacerdos confiteatur proximo. Sēpē n. contingit, quod pœnitēs non potest verecundari coram sacerdote, quem desideranti nec tempus, nec locus offert. Etsi ille cui confitebitur, potestatem non habeat solvendi, sit ramen dignus venia ex sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio.

Mundati n. sunt leprosi, dum ibant orare vel se ostendere sacerdotib. antequam ad eos perueniret.

Lucas 7. 4

Vnde patet Dēum ad cor inspicere, dum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes peruenire. Vnde Aug. Sēpē quidē querunt eos sani & lāeti: sed dum querunt, antequam perueniant, moriuntur. Sed misericordia Dēi vbiq; est: qui & iustis parcere nō uit, etsi non tam cito, sicut si solueretur à sacerdo-

Aug. ibid.

Ibid. cap. 1.

continuō.

Matth. 9. 8

Marc. 5.

te. Qui ergo cōfretur sacerdoti, omnino meliori, quam potest, cōfiteatur: & si peccatum occultum est, sufficiat referre in notitiā sacerdotis. Nam in resurrectione filiæ Achisynagogi puerilē, pauci interfuerūt qui viderunt: nōdum n. erat sepulta, nōdum extra portā delata, nōdum extra domum in notitiā portata. In tūs resuscitauit, quam intus inuenit: relictis solis Petro & Iacobo & Ioāne & pa-

Lucas 7. 6

Ioān. 11. 4

tre & matrē puellē, in quibus figuraliter cōtinēntur sacerdotes ecclēsī. Quos a. extra inuenit, advertendum est quomodo suscitauit. Flebat n. turba post filiū viduę: fleuit Martha & Maria supplantes pro fratre, flebat & turba Mariam secuta. In quo doceamus, publicè peccantib. non propriū, sed ecclēsī sufficere meritū. Laboret ergo pœnitens, in ecclēsia esse, & ad unitatē ecclēsī tendere. Nisi n. unitas ecclēsī succurrat, nisi qd deest peccatori, suā oratione compleat, de manibus iniunctis non tripietur anima mortui. Credendum est n. quod

Aug. ibidem

cap. 1. impr.

omnes orationes & eleemosynæ, ecclesiæ, & opera iustitiae & misericordiae succurrant recognoscenti morte suam ad cōuersionem. Ideoq; nemo dignus pœnitere potest, quæ non sustineat vnitas ecclesiæ. Ideoq; nemo perat sacerdotes per aliquam culpam ab unitate ecclesiæ diuisos. Ex his satis aperitur, & absoluitur præmissæ questionis articulus. Quæredum est n. sacerdos sapiens & discretus, qui cum potestate simul habeat iudicium, qui si forte defuerit, confiteri debet socio. Beda vero inter confessionem venialium, & mortaliū distinguit super illum locum, Cōfitemini alterutrum peccata vestra. Ait n Coequalibus quotidiana & letitia grauiora verò sacerdoti pandamus, & quāto iussit tempore purgare, cūremus: quia sine confessione emendationis peccata nequeunt dimitti. Sed & grauiora coequalib. pandenda sunt, cum deest sacerdos, & urget periculum. Venialia vero etiam sacerdotum ablata copia, licet confiteri coequali, & sufficit, ut quibusdam placet, si tamē ex contēptu non prætermittatur sacerdos. Tūtius est tamen & perfectius vtriusque generis peccata sacerdotibus pandere, & consilium medicinæ ab eis querere, quibus concessa est potestas ligandi & soluendi. Hic aperit, qualiter supradictæ auctoritates intelligenda sunt. E

Cum ergo ex his aliisq; plurib. testimonis perspicuum fiat, & indubitabiliter constat, peccata pri-  
e. Quis alii defuerit, etiā socio illud Ioān. Chrys. superius po-  
quando. ad situm non est ita intelligendum, ut liceat alicui, si  
tempus habeat, sacerdoti non confiteri: sed quia suffi-  
cit, vbi crīmē occultum est, soli Deo per sacerdotē  
dicere, & semel. Nec oportet publicari coram mul-  
tis q; occultum est. Quod notauit dicens. Non tibi  
dico, ut te p̄das in publicum. Sicut n. publica noxa  
publico eget remedio, ita & occulta secreta confes-  
sione & occulta satisfactione purgatur. Nec necesse  
est

Beda in ex-  
positione su-  
per epist. Iac.  
5. d